



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Bartholomæus Ap. 24. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

24. Aug. VITÆ SANCTORVM. 413
in curru à beatis mentibus stipari, ab ove & leone
trahi, videt cæleste donum atri coloris vestem sibi
porrigere. Prodigium hoc alterum sub noctem
excepit, cùm ab eâdem DOMINA servos ejus ac-
cedere est jussus. Et verò accessit pulcherrima ap-
pendix, egitque aliquandiu in spelæo nomine
ipsius hodie nobilitato, & fonte, quem ego è la-
crimis, quas oppidò multas illic fudit, enatum cre-
do. Inde famâ nominis sui factorumque tam in-
claruit, ut iis permoti purpurati Romæ Patres ad
clavum Ecclesiæ vocare cogitarint; sed ille sum-
mos honores humili fugâ elusit, & Arretii cùm
fame ultimâ socii premerentur, ante imaginem
HERÆ suæ in Saturnalia sportas geminas candidissimis
panibus onustas abstulit. Ad extremum è
Germaniâ (quò magno hujus bono Rudolphus
Imp. invitârat) Florentiam redux primò omnium
VIRGINIS templum ingressus, & ante ejus aram
ingenua abjectus, *Hac requies mea exclamavit.* Va-
tem sibi fuisse, ipso Assumptæ in cælos DOMINÆ
die morbus, tum octavo ab illo mors ostendit. Vi-
tæ testimonium ad tumbam ejus claudi manci-
que, quin adeò muti mortuique loquuntur. Ex
Archang. Ianio.

*Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & propè est in
veritate invocantibus se, præsertim his, quos videt con-
formes sibi factos in castitate, & humilitate, & totam
spem suam, post filium suum, in eâ posuerint, & toto cor-
de quæsserint. S. Bern. in serm. super Salve Regina.*

S. BARTHOLOMÆUS AP. 24. August.

Sunt, qui BARTHOLOMÆVM in purpurâ natum
velint. Sanè obiisse purpuratum nemo nega-
rit. Ut Deum in vota sua flecteret, genua centies